etiam mortuus videtur, cuius nomen in ore et corde hominibus est.
Et quis quaeso optimum vinum multis annis collectum velut aquas
turbidas effundit nisi insanae mentis? numquid avarus multo labo-
re, corporis defatigatione, vitae plurimis periculis partas opes, ilico
rapidis credit fluminibus? vel gloriae Imperatoriaeque potestatis cu-
pidus, post superatas in bello vigiliarum itinerumque molestias, coeli ven-
torumque iniurias, hostium assiduos glandium ignitarum imbres declinatosque,
iamiam gloria petita decorandus, ne inveniri possit excedit Regno.
ut sic propter omnes laborum molestias, vigiliarum vexationes, pericula vi-
tae nihil nisi miseram egestatem corporis varios morbos reportet.
Et tu omnia bona opera tua, quae triennio iam Deo Creatori
tuo sincere tanquam gratissimum sacrificium litasti, nunc vnica
voluptatis umbra pessum ibis? Et cui tot vigiliae? quibus noctes diesque
permultos transegisti, imo psalmis aliisque precibus, amaris sed et amatis
Deo lachrymis quas quodammodo impinguasti, ad quid nunc orationes ipso
ardentissimo amore saepius effusae? quae ipsius Altissimi thronum saepe
penetrarunt, quid nunc proderunt tibi? cui petita tam instanter,
tam constanter, tam subnixe cui tribuet? cui inedia tam patienter,
tam fortiter, tam constanter tolerata? Quis nunc quod tibi arasti
metet? non tu, quis deliciis tibi in coelis paratis fruetur? alius
non tu, quis mercedem laborum vigiliarumque recipiet? si fugis, alius
non tu; et certe tot tua ieiunia, tot pijssimae lachrymae, quas effu-
disti, tot noctium vigiliae, quas patientissime sine defectione tolle-
rasti, tot verbera, quae corpori tuo castigando inflixisti, propter quae omnia am-
plissimum, et chariorem quam Croesi thesaurum in coeli tibi Regia congregasti,
nunc sane si discesseris, si insano amori frenum non inhibueris, si a cursu
efferatam non cohibueris mentem, in perniciem tuam cadent, te accusabunt,
te condemnabunt; atque, quod magis ab hac inhonesta fuga ~~te~~
[illegible]